





J. 35. num. 16. F. 12a

1772. 9.

28

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**REMEDIO SPOLII,**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
EX DECRETO ET AVTORITATE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFVRTENSI NVNC INSTAVRATA EMERICIANA,

P R A E S I D E  
**DNO HIERONYMO FRIDERICO  
SCHORCH, ICTO,**

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI  
PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSLIARIO REGIMINIS, IVRIDICAE  
FACULTATIS ASSESSORE SENIORE ET H. T. DECANO, DECRETALIVM  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSYLE  
PRIMARIO, NEC NON ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE  
SCIENTIARVM UTILIVM PRAESIDE,

PRO GRADV DOCTORIS  
EIDEMQVE ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS,

D. XII. OÄ. MDCCCLXXII.

IN AUDITORIO IVRIDICO

PUBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMITTIT


A V T O R

**IOANNES DAVIDES SCHVMM,**  
ARNSTADIENSIS.

ERFORDIAE, LITTERIS NONNIANIS ACAD. A TYP.







## PROOEMIVM.



uia possessor pro domino habetur interimistico, &  
dominus propria autoritate ex re sua dejici non  
debet: possessori a legibus varia tribuuntur reme-  
dia: nam ille tamdiu, ac de vero domino non con-  
stat, non solum se ipsum vi privata æque, ac magistratus auxilio  
in possessione defendere, \*) sed etiam, si injuste dejectus est, de-  
jicientem \*\*) in continenti iterum dejicere, \*\*\*) imo ad recupe-

randam possessionem contra dejicientem & omnes, qui dejectio-  
nem participarunt, interdictis experiri potest. Hic vero præ-  
sertim scopus esse debet, ut ostendam, quomodo quis possessio-  
nem amissam in judicio persequi queat; id quod inter alia quo-  
que interdicto VNDE VI fieri potest. In solis tamen rebus im-  
mobilibus, non vero mobilibus, nisi fundo insint, locum habet  
hoc interdictum \*\*\*\*) & supponit possessionis dejectionem vi fa-  
ctam. Constitutionibus principum, præcipue IVSTINIANI, in co-  
dice postea quidem extensum est hoc remedium RECUPERANDÆ  
ad alios, qui dejecti sunt de possessione, quamvis absque omni  
vi, ad recuperandam possessionem; †) attamen adhuc per-  
quam insufficiens est: quippe quod in eo, si cui possessio rei,  
sive sit corporalis, sive incorporalis, sive mobilis sive immobillis,  
quovis modo ablata est, applicari nequit, & in his casibus olim  
vel ex causa furti, vel vi bonorum raptorum, vel etiam ad ex-  
hibendum actio competit. ††) Quoriam autem dejectio ex  
possessione etiam sine vi fieri potest; jus canonicum loco voca-  
buli vis aliud, SPOLIVM nempe, substituit, hoc vocabulo tamen  
in sensu generali, quo ablationem vel privationem designat, ac-  
cepto, †††) hocque modo usum interdicti VNDE VI magis am-  
pliavit. Idcirco de REMEDIO SPOLII propter magnam ejus uti-  
litatem talis specimenis loco, quale vires permittunt, quadam  
d.cere constitui. Interim spero fore, ut Benevolus Lector, si  
for-

fortasse in quibusdam errem, errare humanum esse consideret,  
mihique ideo ignoscat.

\*) l. i. C. unde vi. l. i. §. 4. D. uii possid.

\*\*) DEIICIENS dicitur is, qui invitum privato ausu possessione privat.

\*\*\*) l. 3. §. 9. & l. 17. D. de vi & vi armata.

\*\*\*\*) l. i. §. 6. l. 3. §. 15. & l. 19. eod.

t) l. f. C. unde vi. l. f. C. de acquir. poss. *Que due leges ex una lege decisionum, quibus IVSTINIANVS Sabinrum & Proculejanorum disputationes tollere voluit, defumta videntur.*

††) l. i. §. 6. D. de vi & vi armata.

†††) Occurrit in hoc generali significatu vocabulum SPOLII in l. 9. D. de donat. inter V. & VX. l. ult. in fin. C. de jurisd. diversi, iudiciorum.

---

§. I.

Cum possessio, ut modo in prooemio dictum est, producat  
jus interimisticum, vi cuius possessor tamdiu, ac de vero  
domino non constat, pro domino habetur, & in exercitio fa-  
cultyatis de re disponendi turbari non debet;\*) leges factum ejus,  
qui possessorem proprio nomine dejicit, pro illicito declararunt.  
Ex quibus simul patet, possessionem, quae non est vacua, invito  
possessore, alteri adquiri haud posse. Inde qui proprio ausu  
possessionem rei ab alio jam possessa ingreditur, vel se in pos-  
sessionem mittit, factum illicitum suscipit, quod jam prisci Ro-  
mani legibus suis vindicaverant. Lata enim erat A. V. C. 675.

Iex Plantia & eodem anno Iex Luctatia de vi, quibus frequen-  
tes dejectiones, tempore SYLLAE MARIIQUE in turbis ciyilibus,  
quibus libertas & bona Romanorum valde premebantur, factus,  
fanare laborabant. Supersunt etiam in Digestis leges, quae vel  
**IVLIO CAESARI** vel **AVGVSTO** adscribuntur, quae de vi persecutio-  
nem criminalem admittunt; sed quia illae postremæ leges pro-  
pter necessitatem inscriptionis in crimen a parte accusatoris ma-  
gno incommodo laborabant, Prætores interdicto quodam deje-  
ctis subveniebant, quod etiam **IVSTINIANVS** propter æquitatem,  
quæ subest, commodamque, quam monstrat, viam, ad vim in-  
justam vindicandam in suum corpus juris retulit. Ius vero ca-  
nonicum illud retinuit, factumque illud illicitum, quod subest,  
spolium vocavit. \*\*)

\*) l. 5. pr. D. si ususfr. peccatur c. 6. X. de insit. §. 4. Ins. de imer-  
dicitis.

\*\*) LEYSER. Medit. ad Pandectas, spec. 452. med. 4.

## S. II,

Itaque **SPOLIVM** in injusta possessionis vel quasi interver-  
sione, seu in quolibet facto illicito, vi cuius quis nobis posse-  
ssionem rei detrahit, consistere affirmandum est. Hoc in quam-  
vis rem cadit, ideoque in re tam corporali, quæ est vel mobi-  
lis, vel immobilis, quam incorporali committitur; \*) nec ad  
committendum tale factum vis, imo ne dolus quidem requiri-  
tur; \*\*) quia possessio rei etiam culpa & errore detrahi potest.  
\*\*\*) Ipsum autem juris remedium, quo quis ab altero possel-  
litionem

sionem rei vel quasi sine jure detractam repetit, **REMEDIUM SPOLII**  
nominari solet, quod non solum per modum actionis, separatim  
institutæ, verum etiam per modum exceptionis proponitur.  
Primum igitur de ACTIONE, dein de EXCEPTIONE SPOLII dicam.

\*) c. 2. de resist. spol. 610, c. 8. 10. 13. eod.

\*\*) c. 7. eod.

\*\*\*) L. 5. C. unde vi.

### S. III,

ACTIO SPOLII est actio summaria, quæ competit spoliato,  
eiusve heredibus, adversus spoliantem, ejusve heredes, ac  
quemlibet spolii concium possessorum, ad spolium cum omni  
causa restituendum. Iam secundum jus romanum cuicunque  
agere permisum est, qui ante dejectionem rem possidet, sive  
civiliter, sive naturaliter. \*) Interim qui tantum tenet, veluti  
colonus, non semper agere potest, quia ipse dominus dejectus  
videtur, & proinde hic agere debet; \*\*) aliquando tamen &  
huic actio conceditur, si nimis ab ipso domino dejectus est, \*\*\*)  
vel si dominus est absens, quia colonus tunc agit nomine locato-  
ris, etiam absque speciali mandato. \*\*\*\*) Nec disquiritur,  
utrum vi, clam, vel precario possideat, †) (id enim est in  
odium violentiae constitutum), vel utrum quis corpore, an  
animo tantum possideat? ††) Hoc autem summarie docen-  
dum: nam sepe contingit, ut quis se possedit simulet, alteri  
vero vim imputet, qui tamen potius suam possessionem per vim  
defendit, quod omnino permisum est, †††) Atque etiam de  
jure

jure canonico datur hæc actio omni illi, qui de re aliqua, sive corporali, sive incorporali vi dejectus est, seu qui alias quovis modo sine justa causa, etiam sine dolo rei, possessione excludit. ††††) (e. c. si minoris fundus sit alienatus sine solennitatibus juris), etiamsi nude detinuerit, vel vitiouse, vel alio modo.

\* ) l. 1. §. 9. D. de vi & vi armata.

\*\*) l. 1. §. 22. eod.

\*\*\*) l. 12. 18. eod.

\*\*\*\*) l. 1. C. si per vim.

†) l. 14. & l. 17. eod.

††) l. 1. §. 24. eod.

†††) l. 3. §. 9. l. 17. eod.

††††) c. redintegr. 3. C. 3. q. 1.

#### S. IV.

Quum vero illud remedium non æque supponat atrocitatem criminis; jure codicis quoque dominus, si per errorem, aut incuriam ejus loca ab aliis mala fide possessa sint, illo ipso uti potest.\* ) Porro illi conceditur, qui per incuriam judicis, aut ejus collusionem possessionem amittit.\*\*) Sed si quis rem, reservato tamen animo sibi habendi, e detentione amiserit, quam nunc tertius quiete, & illo non contradicente, occupavit; quæstio erascatur: an ille actione spoli contra tertium agere queat? Distinguuo: tertius aut in bona, aut in mala fide versatur; et in

in hoc casu omnino ista actio institui potest, neutquam in  
illo.

\*) l. 5. c. unde vi.

\*\*) l. 6. eod.

§. V.

Neque minus propter præstations reales & personales locum habet hoc remedium. Quapropter illi etiam, qui res naufragio amissas reddere nolunt, convenientur. Quibus & actio quædam ex contractu vel alio jure competit, ii talis actionis loco hoc remedium adhibere possunt; veluti locatores, ubi rem locatam, finita locatione, restituere recusant conductores. Non quidem dubium est, conductores ACTIONE LOCATI posse conveniri; ast in recuperanda possessione promptus est remedium spolii. Conductores enim, qui locatione finita recedere nolunt, sibique rem locatam vindicare intendunt, tanquam invasores alienæ possessionis habentur, quia sunt alienæ possessionis detentores \*) quam denegatione restitutionis intervertere videntur. Quin potius conductor, locatori rem locatam repetenti, possessionem prius restituere, & tunc demum de proprietate, si quam in re locata sibi competere contendit, litigare debet. \*\*) Idem dicendum est, si colonus emtori possessionem ad domini voluntatem non tradidit. \*\*\*) Sed hoc non aliter obtinet, quam si injuste rem restituere recusat; secus est, si jure retentionis, v. c. ob impensas, se tueri potest, quia ita dominum non spoliat, sed jure suo utitur. Aequo in aliis contractibus, in quibus possessio

B

non

non transfertur, sed penes concedentem remanet, huic remedium locum esse posse colligendum est, si sub variis praetextibus detinens possessione alterum privare cupit.

\*) l. 10. eod.

\*\*) l. 25. C. locati cond.

\*\*\*) l. 12. D. de vi & vi armata.

### S. VI.

Actio spolii spoliati heredibus recte competit: nam eius possessio ad heredes non transeat, jus tamen recuperandi possessionem quo minus transeat, nihil obstat. Et quod ad præscriptionem hujus actionis attinet, ex analogia juris eam intra annum utilem instituendam esse intelligimus, quia interdictum VNDE VI intra annum utilem datur; sed in praxi intra annos triginta locum habet.\*)

\*) WERNHER in *select. observ. for. Tom. 6. obs. 485.*

### S. VII.

Agitur nunc adversus spoliantem, sive eum, qui possessorum ex re aliqua injuste dejecit, vel adversus tertium malefici possessorum, sive spolii concium. Sed jure romano hoc interdictum contra solum dejicientem dabatur, non autem contra heredes, aut tertios possessores;\*) illi tantum actione in factum poterant conveniri, in quantum ex spolio erant locupletiores.\*\*) Ipsa enim interdicti verba non heredem aut bonorum possessorum

rem jugulant, sed adversus dejicientem ipsum concepta sunt.  
 COELESTINVS III. tamen etiam tertium possessorem dejectonis conscientia spolii conveniri posse censuit; \*\*\*<sup>\*)</sup> & licet hæc sanctio jus tantum inter partes constituisse videatur; ejus successor INNOCENTIVS III. \*\*\*\*<sup>\*\*) pari modo pronunciavit, & in concilio generali Lateranensi †) hanc sententiam iterum firmavit, jure civili hac in quæstione emendato. Sed hisce non contenti, ulterius progressa est turba Pragmaticorum, & sunt qui remedium spolii contra quemlibet possessorem, licet in bona fide sit, jure canonico prorogatum esse putant; ‡‡<sup>†)</sup> attamen minus recte, quia citatum capitulum ‡‡‡<sup>†)</sup> possessorem tunc demum, si scienter rem spoliatam adquisivit, siveque de spolio participavit, obligatum tenet; & si rem curatius intueamur, hic textus suppositius c. redintegranda C. III. q. 1. nil praeter jus romanum continet. Ejus erronea tamen interpretatio, fatentibus pluribus, ‡‡‡‡<sup>†)</sup> in foro triumphat. Caeterum nihil refert, utrum quis ipse spoliaverit, an spolium mandaverit, jussit, ut aliquis deiceretur, vel factum probaverit.</sup>

<sup>\*)</sup> l. 7. D. de vi & vi armata.

<sup>\*\*)</sup> l. 1. §. ult. eod. l. 9. ibid. l. 2. C. unde vi.

<sup>\*\*\*</sup>) c. 11. X. de judic.

<sup>\*\*\*\*</sup>) c. 2. X. de ord. cogn.

<sup>†)</sup> in c. 18. X. de restit. spol.

<sup>‡‡</sup>) Id collegunt ex c. redintegr. 3. C. 3. q. 1. ubi dicitur, episcopum spoliatum violentia majorum remedio spolii uti posse. Obiter hic mo-

nendum, sub majoribus antecessores spoliatoris, uti quidam sentiunt, intelligi debere, unde hoc remedium adversus tertium bona fidei possessorum locum habere censem; ab hac interpretatio falsissima. Sub majoribus hoc loco potentiores intelliguntur; consequenter tantum male fidei possessor ex spolio tenetur.

†††) c. sepe 18. X. de restit. spol. In quo INNOCENTIVS III, istud commentum decisione sua rejectit.

††††) cf. BOEHMER I. E. P. lib. II. tit. XIII, §. 6. seq.

#### §. VIII.

Neque minus conveniri possunt heredes ex spolio defuncti, sive ex eo locupletiores facti fuerint, sive non, & quidem pro rata, secundum vires patrimonii, ex hac ratione: *ut sic a peccato defunctus valeat liberari*, ut in allegato capitulo dicitur; \*) id quod non potest non de liberatione a purgatorio intelligi. Et quamvis hoc fundamentum obligandi ex principiis suae religionis Protestantates haud agnoscant; ut plurimum tamen illud recipiunt.

\*) c. 5. X. de rapt. Idem inculcatur in c. 9. X. de usur.

#### §. IX.

Hoc autem remedium per se infamiam facti non importat, & sic spolium illos etiam tenet, quibus reverentia debetur, \*) (& inde ab ipso iudice potest committi \*\*). Quemadmodum vero

vero remedium spolii eo tendit, ut res restituatur, (de qua restitutione paulo post dicendum erit); ita quoque jure canonico ad causas matrimoniales applicatur, scilicet ut conjux restituatur. \*\*\*) Hac res ita se habet, ut maritus, si uxor ab illo plane discesserit, contra eam hoc remedio experiri possit, quoniam maritus ita possessione vel quasi juris maritalis privatus est, indeque petit restitutionem. Sæpius autem uxor profert tunc exceptiones, e c. *scavitarum*, & quod sine periculo vitæ marito cohabitare non possit, item *denegatorum alimentorum*; quibus oppositis, maritus non statim & sic contra regulam restituitur, donec exceptiones excusæ fuerint. Vel si forte domo uxor epulsa est, itidem, ut spoliata, restitutionem petit.

\*) CARPZ. I. resp. 3. n. 3.

\*\*) cf. §. IV. supra, & vid. c. 7. X. de restit. spol.

\*\*\*) c. 10. eod.

### §. X.

Datur remedium spolii ad id, ut res spolio surrepta cum omni causa restituatur. Itaque habetur ratio fructuum perceptorum & percipientium, a die dejectionis connumrandorum; \*) præterea rerum desperitarum, qualescumque res fuerint, sive propriæ, sive alienæ, v. c. depositæ, commodatae, \*\*) etc. ut & lucri cessantis, juramento in item determinandi: \*\*\*) omnia enim, quæcumque habiturus vel ad se-

B 3

cutu-

cuturus erat is, qui spoliatus est, restitui, aut eorum lis a judice aestimari debet, si spoliatus non esset, seu quidquid damni senserit ob hoc, quod spoliatus est, recuperare debet: nam pristina causa restitui debet, quam habiturus erat, si non fuisset spoliatus.

\*) l. i. §. 40. D. de vi & vi armata.

\*\*) Omnia rerum restitutio promittitur in c. l. §. 33.

\*\*\*) c. l. §. 41.

### §. XI.

An vero etiam reus spolians ad restituendum res casu mere tali interitas teneatnr? Ad hanc quæstionem affirmando respondetur, licet spoliatus moram fecerit, quo minus remedium sibi competens, antequam res ipsius perierint, institueret. Spoliator enim in perpetua mora est, & præterea ex delicto ad restitucionem rei gravius quis obligatur, quam ex conventione debitor: \*) quippe qui ex interpellatione alterius demum in mora constituitur, & alias interitu rei liberatur, ex delicto autem obligatus ex ipso, quo aufert, tempore moram in restituenda re, quam non debuit auferre, facit. \*\*) Quare si forte casu interierit res, ideoque ea ipsa restitui nequeat, id, quod interest, solvendum. \*\*\*)

\*) l. 19. eod.

\*\*) l. ult. D. de condit. furt.

\*\*\*) l. 15. D. de vi & vi armata.

### §. XII.

---

---

### §. XII.

Cæterum copia hujus remedii promte datur, ita ut de actione spolii separatim instituta prius cognoscendum sit, quam de actione a spoliante instituta: cum, antequam de proprietate queratur, juxta dictum juris canonici, spoliatus ante omnia restituendus sit; \*) juri civili æque consentaneum. \*\*) Sed secundum Ordinem Process. Sax. emendat: \*\*\*) hoc tunc de-  
mum obtinet, si super spolio definitiva lata sententia, eaque in rem judicatam transiit; alsdenn ist der Kläger in allen Sachen mit demselben, bevor dieser dem Urteil Folge geleistet, sich weiter einzulassen nicht verbunden, ut citato loco dicitur.

\*) c. sepe X. de restit. spol.

\*\*) l. 6. §. I. C. unde vi.

\*\*\*) tit. II. §. 3.

### §. XIII.

Remedium spolii dupli modo, nimirum per modum actionis æque, ac exceptionis, ut constat, proponi solet. De priori modo dictum est; de posteriori ut agam, sequitur. EXCEPTIO SPOLII eo tendit, ut actori, ante restitutionem spolii plenarie factam, iustitiae administratio denegetur, & ut spolio probato reus ad item contestandam, vel si contestata sit, ad ulterius procedendum non cogatur. Statuit enim jus canonicum: \*) Spoliatori spoliatus ante restitutionem non cogitur ullatenus respondere. Quam

Quam igitur late pateat hujus exceptionis autoritas, vel ex hac definitione appareat, illamque ultra omnes juris limites privilegiatam & extensam esse paullo post apparebit. Omnes vero irregularitates natales traxisse videntur ex infelicibus commentis **I**ctorum ævi medii, quorum autem opiniones barbaras, ab omni juris analogia abhorrentes, & in æquitate quadam cerebrina fundatas **INNOCENTIVS III.** juris autoritate donavit, <sup>\*\*) ideoque ad tempora usque nostra exceptio ista nobilissima est conservata.</sup>

<sup>\*) in c. 2. X. de ord. cogn.</sup>

<sup>\*\*) per c. 2. eod. Plura de origine & progressu hujus exceptionis in star omnium concessis BOEHMER in diff. de depravato exceptionis spoliis statu. §. V. seq.</sup>

#### S. XIV.

Intelligendum autem est ex definitione nostra, hanc exceptionem esse dilatoriam, quia hunc habet effectum, ut reus ad actionem prius respondere non teneatur, quam quod ad omnia restitutus. <sup>\*)</sup> Hinc ea exceptio ante litis contestationem objicienda est; & si ejus effectum perspicimus, talis, quæ litis ingressum impedit, esse videtur. Attamen vero hoc singularare habet, quod omni tempore, in causa etiam plane diversa & non connexa, <sup>\*\*) in vim litis ingressum, medium & finem impediendi, recte imponitur, <sup>\*\*\*)</sup> dummodo hoc ante sententiam sit: siquidem omnibus exceptionibus dilatoriis etiam</sup>

etiam hoc commuue est, ut, si post litis contestationem natae sint, aut denum ad notitiam rei pervenerint, semper adhuc opponi possint, modo reus juramento hoc corroboret. Præterea etiam Doctores defendunt, naturam & dilatoria & peremptoria exceptionis huic exceptioni tributam esse. \*\*\*\*) Sed textus, quem allegare solent, invita sane Minerva huc trahitur: ibi enim de exceptione spoli plane non agitur; tractat potius quæstionem, an spoliatus, qui jam petitorum elegit, ad actionem spoli reverti possit? Quodque in hoc textu permittitur. Nihilominus tamen falsa ista interpretatio in praxi est recepta. De jure vero admisit tantum pontifex oppositionem hujus exceptionis post litis contestationem in eo solum casu, si cum causa in judicium deducta fuerit conexa, †) id quod aequitatem etiam proximum est: nam causa possessionis, in quam spoli incidit quæstio, accurate definita, ad sententiam in petitio definitive ferendam, sic via sternitur.

\*) ZANGER de except. p. 2. cap. 18. n. 1.

\*\*) Derivatum est hoc privilegium a Dd. ex c. 2. & fin. X. de ord. cogn. Quia nimurum hi textus generaliter & sine ulla limitatio- ne loquuntur; concluditur propter odium spoliantium.

\*\*\*) CARTZOV p. I. c. 6. d. 4.

\*\*\*\*) Provoçant Dd. ad Clem. unic. de causa possessionis & proprietatis.

†) per c. 2. & fin. X. de ord. cogn.

### §. XV.

Hæc exceptio illi, qui possessione rei inique privatus est, ejusve heredibus competit contra spoliatorem, \*) ex qua velit causa, dummodo non ecclesiastica, \*\*) agentem. Quæstio autem suboritur, numne etiam contra tertium possessorem, qui bona fide & justo possidet titulo, hæcce competit exceptio?

C

Affe-

Afferunt hoc quidam ex familia Pragmaticorum; aduersatur vero iis jus canonicum, \*\*\*) verba sunt: *statuimus, ut in cibilibus negotiis spoliationis objecta, quæ ab alio, quam ab auctore facta proponitur, judex in principali procedere non postponat.* Et quomodo injuria tertii jus actoris bona fide possidentis, nec de spolio participantis, ideoque non delinquentis, differre possit? Sed volunt huicce exceptioni contra tertium locum concedere Doctores in casu, si quis a tertio spoliatus est adeo, ut non possit rei judicatae contra se latæ satisfacere, ita ut ad effectum executionis suspendendæ opponi possit. *Ait tex-*  
*tus, \*\*\*\*)* ad quem provocant, per verba, quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, indicat, ibi non loqui de spolii, quin potius de inopia exceptione; cum itaque a diversis ad diversa conclusio non valeat, errasse & hac in quæstione Doctores, appetet.

\*) *Hic etiam intelligitur esse, qui spolium mandavit, ratibus habuit, aut rem spolio ablataam a spoliatore sciens accepit.*

\*\*) *c. I. X. de restit. spol. 6to.*

\*\*\*) *cit. c.*

\*\*\*\*) *c. 16. de restit. spol.*

### §. XVI.

Comparata autem est hæc exceptio ad id, ut actor non prius audiatur, quam reus plene restitutus fuerit. Diversa igitur est indoles actionis & exceptionis spolii. In actione enim petenda est restitutio ipsa, quæ etiam, probato spolio decerni debet; in exceptione vero petitur absolutio ab instantia, non vero actor ad restituendum condemnatur, adeoque a reo frustra petitur executio sententiae absolutoriae ad effectum restitutionis. Non igitur directo, sed per indirectum spolii

spolii restitutio, mediante scilicet hac exceptione, urgetur, modo intra XV. dies a momento, quo opposita, computandos probetur. \*) Sæpe enim contingit, ut spoliationis exceptione calumniosa ad declinandam nimirum litis contestationem opponatur; & ut hoc evitetur, brevis hic terminus positus est. Nec sufficit, articulos intra hunc terminum obtulisse, sed probatio perficienda est intra fatale nominatum. Quod tamen spatium usi fori ante injunctam probationem non currit, & usi plerorumque judiciorum invalidit, ut sufficiat, si intra XV. dies articuli offerantur, licet hoc ipsum intentioni pontificis sit contrarium, quæ satis clare ex citato capitulo elucefcit. \*\*) Restitutio autem spolii ipsa, si fieri debet, ita facienda est, ut spoliatus ad omnia, non solum quoad rem ipsam, sed etiam quoad interesse & fructus restituendus sit.

\*) c. i, X. de restit. spol. &c.

\*\*) CARPZ. p. I, c. 6, d. I. n. 5.

### §. XVII.

Hujus vero exceptionis probatio aut testibus, aut documentis fieri solet; quæ tamen exceptio si contra executionem directa est, per testes probari nequit, quoniam regulatiter omnes exceptiones, in vim executionem impediendi objectæ, non aliter, nisi ipsa actoris confessione, aut documentis in continent probari possunt, \*) & id quidem præcipue, ne actor probatione testium quasi per indirectum ad processum ordinarium perducatur. \*\*) Vtrum autem probatio spolii juramento suscipienda, an spoliantis conscientia probatione exoneranda sit? Hanc quæstionem recte decidit RIVINVS, \*\*\*)

putans, delationem juramenti ante litis contestationem, qua-

C 2

tenus

tenuis hac exceptione item differre studet, admittendam non esse, bene vero post sententiam intra tempus, terminum probationis praefigens; \*\*\*\*) alia tamen ratio est in causis depositi & commodati, porro si quis rem precario & revocabili ter possidet, veluti colonus, item in causis matrimonialibus, etiam, si quis e chirographo, vel contractu, juramento corroborato, convenitur, & tandem in causis ecclesiasticis, Quod reliquum est, secundum Ordinem Process. Sax. Elect. emendat, exceptio spolii tanquam dilatoria non amplius consideratur, sed tanquam peremptoria litis contestationi ut adjungatur necesse est.

\*) CARPZ. p. 1. c. 8. d. 24.

\*\*) CARPZ. cit. p. c. 6. d. 5.

\*\*\*) de except. dilat. cap. 21. n. 7. seq.

\*\*\*\*) CARPZ. Proc. tit. II. art. I. n. 53. & p. 3. d. 213.

### S. XVIII.

Atque haec quidem de exceptione spolii dicta sunt. Sed mul tum etiam interest, utrum de spolio agatur per modum actionis, an per modum reconventionis, aut exceptionis? Quia ex causa quedam adhuc proponere licebit. Praesertim hoc refert, quod si de spolio separatum agitur, de eo prius cognoscendum est, quam de actione a spoliante instituta, cum spoliatus ante omnia restitundus sit. Si vero per modum reconventionis, tunc causa spolii simultanea cum principali peragitur, nec hujus persecutio impeditur. Si denique in modum exceptionis, tunc ea probata, reus absolvitur, & actor ab agendo repellitur, minime vero condemnatur, (Quia exceptio tantum eo tendit, ut elidatur intentio actoris), ideoque reus ad executionem agere & restitutionem spolii urgere nequit; quæ condemnation ad restitutionem sequi potuisset, si exceptio per modum actionis fuissest instituta. \*) Vnde consultius est, de spolio separatum agere, quam per modum reconventionis, vel exceptionis; & haec paucula sunt, quæ dissertationis inauguralis loco dicenda fuerunt.

\*) e. 2. X. de ord. cogn.

FINIS.

Erfurt, Diss., 1770-73



f

Sb.

W 18





J. 35. num. 16. ~~F~~ 1772

28

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**REMEDIO SPOLII,**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIS  
EX DECRETO ET AVTORITATE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFVRTENSI NVNC INSTAVRATA EMERICIANA

P  
**DNO HIERO-**  
**SCH**

SACRI PALATII CAESAR  
PRINCIPIS ELECTORIS MO  
CAE FACULTATIS ASSESSORI  
PROFESSORE PVBLICO OR  
PRIMARIO, NEC NON  
SCIEN

PRO G  
EIDEMQVE ANNE  
BVS RITE ET

IN AV  
PVBLICAE ERV

JOANNES

ERFORDIAE, LI

